



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

XXXIV. De monopolis qualiter illicita sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

ad creditum vendi solent, quam pecunia numerata ob multipliciter emporum &c. vendis tamen 90. ad creditum sub pacto reuendendi 80. pecunia numerata quae vsura est aut iniustitia, cum grauamen illud reuendendi quod emptori apponit scias ipsum ad reuendendum emere leuissimum fit, & ex alia parte illud compensas decem iusti pretij detractio- ne. Neque verum est minor summa praesentis pecuniae te co- parare maiorem ad creditum, quia illam maiorem ad creditu iam comparatam habes ante pecuniam numeratam ob mer- cem venditam. Neque item compensas maiorem summam cre- ditam minori numerata, quia inter pecuniam creditam, & numeratam nulla est compensatio, cum pecunia creditam tibi debeat ob mercedem venditam, & pecuniam numeratam tradideris ob eam emptam. Sed haec admitenda non sunt, quia videris emptorem ad reuendendum cogere, & lucram ex mutuo comparare, cum illa non sit moraliter censenda ven- ditio, vt pote in continentibus reuoluenda, sed palliata mutatio. Vt resoluat Syluest. verbo vsura 2. q. 4. Mercat. lib. 2. de con- tract. cap. 21. Rebell. 2. p. de oblig. iustit. lib. 9. quest. 7. num. 7.

4. Secluso autem pacto reuendendi nulla videtur iniustitia, si item iusta latitudinem iusti pretij carius ad creditum ven- das, quam postea illa pretio numerata pecunia redimis. Nam in venditione illa ad creditum nulla est iniustitia, cum ponamus iustum pretium non excedere. Quod vero rem ven- ditam redimas viliori pretio iusto tamen, nullam irrogas venditori iniustitiam, cum illum ad sic reuendendum non cogēris, potius enim illi beneficium praestas excusans ne alios emptores quærat forte non facile, & absque sumptibus inueniendis. Ex eo namque quod prius rem vendide- ris non es factus inhabilis ad eam emendam. Atque ita do- cent Nauarr. cap. 2. num. 91. Grassi 1. p. decis. lib. 2. cap. 109. num. 4. Gutier. lib. 1. canon. q. cap. 39. num. vlt. Lessius lib. 2. cap. 2. dub. 16. Petr. Nauarra 1. de restit. cap. 2. num. 170. To- let. sum. lib. 5. cap. 3. num. 3. Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 9. q. 7. & alij quos refert, & sequitur Ioann. de Salas, tract. de empt. dub. 27.

5. Plures ex praedictis Doctoribus aduertunt te sic venden- tem, cum scias emptorem ad reuendendum emere plerum- que peccare contra charitatem, cum denegando mutuum in- digenti, cum absque graui incommodo concedere possis, & cogendo illum rei emptæ iacturam facere, tum scandalum generando quod regulariter contingit, cum ab hominibus existimetur rem supra iustum pretium vendi, & infra iustum emi, vel emi sub pacto viliori pretio reuendendi. Seclusis au- tem hic circumstantiis extrinsecis licitum esse videtur spe- cialo iure naturæ ea venditio, & receptio.

6. Temperant autem Nauarr. cap. 18. num. 241. Vega, verbo vsura cap. 13. casu 62. Molin. disp. 110. vers. obseruatumen, ne procedat, si vendideris intentione principali viliori pretio reuendendi. Sed hæc restrictio admittenda non est, vt bene in- quit Salas dicto dub. 27. n. 4. Quia sperare lucrum ex venditio- ne, aut ex mutuo, si lucrum illud non deducitur in pactum, neque exigitur vt debitum non est iniuriam.

7. Dixi peccato iure naturæ, nam iure positio inspecto, satis probabile est in Lusitania peccatum esse mortale vendere iis merces, quos scis non emere ad negotiandum neque ad consumendum in sua familia, sed ad viliori pretio numerata pecunia reuendendum, & in regno Castellæ si viliori pretio emas quod carius ad creditum vendidisti. At credendum est id intelligendum esse saltem in nostro regno, cum extra latitudinem iusti pretij venditio, aut emptio contingit, vt indicat lex illa 29. qua præcipitur iudicibus, vt puniat hos contractus quos illicitos iauerunt, & in fraudem vsurarum celebratos. Sic docent Gutier. d. cap. 39. num. vlt. Azcu. leg. 22. tit. 11. lib. 5. compilat. n. vlt. Salas dicto tract. de empt. & vendit. dub. 37. in fine.

PUNCTUM XXXIV.

De monopolis, qualiter illicita sint?

1. Quid sit monopolium?
2. Monopolium auctoritate principis concessum ne alius vendat eas merces licitum est.
3. Monopolium mercatorum, ne infra tale pretium merces vendantur illicitum est saltem contra charitatem.
4. Imo contra iustitiam.
5. Non videtur illicitum rogare amicos ne plus liciten- tur.
6. Emere merces omnes tempore abundantie carius tempore sterilitatis vendendas non est monopolium illicitum.
7. Satisse contrariis.
8. Si vi, metu, vel fraude impediatur merces in ciuitatem ven- dendas, vt tu solus carius vendas est monopolium illi- citum.
9. Item si artifices conueniant, ne opus ab alio inceptum alter percipiat.
10. Alia sunt monopolia illicita.

Monopolium nomen est Graecum significans vniuersum in ciuitate venditionem. Cum enim ex privilegio principis, aut tua industria obtines vt tu solus merces vendas monopola es, & monopolium exerces. Regulariter monopolium peccatum est contra iustitiam ob damnam quod Reipublice inde provenit, cum ob eam caulam citius carius merces cogantur, & alij impediuntur a negociatione, venditione, & lucro. Ideoque Zeno in leg. vnic. Cod. de Monopolis. sub poena profcriptionis omnium bonorum, & perpetui exilij monopolia vetuit. Aliquando tamen licitum est mo- nopolium, & Reipublice expediens. Quod quando contingit sequentibus explanandum est.

Primo contingit monopolium auctoritate principis, seu Reipublice. saepe enim Princeps, & Reipublica pr uile- gium alicui concedit, ne alius quam ipse talis gene- ris merces vendat. Quo privilegio si iusta adest causa concessiois (vti semper presumit debet) licite privilegium vsi poterit. Sicuti tradunt Nauarr. cap. 2. num. 92. Petr. Nauarr. 3. de restit. cap. 2. dub. 9. Lessius lib. 2. cap. 1. dub. 21. num. 148. Mol. tract. 2. disp. 345. & alij passim. Oportet autem tunc pretium monopoliae taxari maxime in meribus vite huma- nae necessariis, ne periculum sit pretium iustum excedendi. Nam in his quæ ad luxum, & voluptatem pertinent facilius ip- sis relinqui potest estimatio, cum nullus ab eis emere com- pellatur. Sicuti bene aduertit Nauarr. & Lessius supra. Salas tract. de empt. dub. 38. Layman. lib. 5. sum. sed. 1. tract. 4. cap. 17. §. vlt. circa finem.

Secundò est monopolium, cum mercatores conspirant, ne merces vendantur infra tale pretium. Et quidem si pre- tium est ultra rigorosum iustum, vt plerumque contingit, nemini est dubium peccatum esse contra iustitiam cum obli- gatione restituendi. At si infra latitudinem iusti pretij con- spiciant etiam si summam sit, grauissimi Doctores, Mol. tract. 1. disp. 345. §. 5. secunda conclusio. Lessius, dicto dub. 21. num. 147. Petr. Nauarra 3. de restit. cap. 2. dub. 9. n. 85. Angles, q. de empt. art. 1. dub. 7. diffinit. 2. Bañes 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 1. Aragon. art. 4. diffinit. 1. & alij censent non peccare contra iustitiam, neque obligationem restituendi habere, tamen peccent con- tra charitatem. Dicuntur, quia peccatum non est si abique vi- metu, vel fraude persuadeas alicui, ne suas merces vendat mi- nori pretio quam rigorosum iusto, quia nihil illicitum, si uides, neque emptores habentius vt ab his iustificationibus desistas, sed tantum habent ius ne alterius voluntatem vi vel fraude com- pellas: at in hac conspiratione mercatores id ipsum sibi iniu- cem suadent, & de eius executione fidem praestant. Ergo nihil iniustum committunt. Quinimo neque charitatem grauitur offendunt, cum pretium iustum non excedant.

Sed contraria sententia affertens esse peccatum contra iu- stitiam cum obligatione restituendi emptoribus quanti cre- ditur minoris emptoris, si ea conspiratione non adules, proba- bilior est. Vt docuit Sotus 6. de iust. q. 2. ar. 3. Nauarr. cap. 2. num. 92. Conrad. de contract. q. 11. circa finem. Ioann. Molin. q. de restit. q. 36. §. sed in talis. Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 9. q. 7. n. 5. Salas aliis relatis tract. de empt. & vendit. dub. 38. Layman. lib. 3. sum. sed. 5. tract. 4. cap. 17. §. vlt. circa finem, & conuincit videtur ex d. leg. vnic. Cod. de monopolis. vbi in- quit Zeno. Nunc quis illicitis habitis conuentionibus conu- ret, aut pacifacatur, vt species diuersorum corporum negotia- tionis non minoris quam inter se statuerim vendantur. Eo- ce qualiter Consulius prohibet conuentionem de vendenda merce statuto pretio, tamen supra rigorosum non sit. Ratio autem est. Nam vi huius conspirationis compelluntur em- ptores pretio illo rigoroso emere, alias non empturi nisi pre- tio medio, vel infimo. Ergo in ea conspiratione peccatum iniustitiae committitur. Probo hanc consequentiam, quia Reipublica, cuiusque ciues ius iustitiae habent, ne mediis ini- quis, & illicitis compellantur merces auctiori pretio emere, quam alias essent empturi. Cum ergo hæc conspiratio illicita sit, & iniuriam, vt potest legibus interdicta, conuenitur contra iustitiam peccatos mercatores in ea conuentione.

Præterea iniustum est pretium taxatum a republica deo- gare, & pro venditione arbitrarium constituto. At si hæc con- uentio sustinenda esset pretium medium & infimum illarum mercium profus cessarent, & tantum vnicum pretium rigoro- sum ex venditionum voluntate persisteret. Quapropter du- rant hæc monopolio licitum est emptoribus ad vexationem redimendam conuenire, ne vilius erant nisi pretio medio vel infimo, vt bene Sotus, Mol. Rebell. Arag. Salon. Salas, & alij, loc. cit. aduertunt.

Displicet autem quod multi ex Doctoribus huius nostræ sen- tentiae tradunt, specialiter Sotus, Reb. & Salas nimirum esse ini-ustum in publica substatione perire ab aliquibusne pluri- licentiam, vt tu rem infimo pretio iusto habes, quia hoc mo- nopolium nullibi videtur prohibuit. Ergo illud exerces nullam venditori iniuriam irrogas. Sicut enim omnes isti quos rogas, ne plus licentiam absque tua iustione non licentiam, quia aliquam venditori iniuriam facerent, item praestare poterunt rogati. Sicuti tradunt Mol. Petr. Nauarr. Lessius loc. cit. Tertio

6 Tertio monopolium illicitum asserunt plures esse, si tu solus, vel alij tecum omnes merces alicuius generis tempore abundantie vilius emas postmodum carius vendendas, de quo Arist. lib. 1. polit. cap. 7. Sic Menoch. de arbitrar. onsu 384. & casu 369. num. 5. 11. Et 2. Sylvest. verbo emptio q. 102. Gab. in 4. d. 1. 5. q. 10. ar. 3. d. 1. Ioann. Medina de restit. q. 36. Et 36. & alij relati a Salas d. dub. 38. Nam hac emptioe simul cum mercium reclusionse compelluntur emptores ad pretium augendum, priuatque Respublica ne merces pretio moderato, & commodo habeat, vel saltem de medio tollitur pretium infimum, & medium, quae omnia videntur iniusta, sicuti diximus de conuentione mercatorum circa pretium rigorosum.

7 Nihilominus longe verius existimo hoc monopolium non esse illicitum, alias illicita esset emptio, quam Patriarcha Ioseph in Aegypto praestitit, cum tempore abundantiae frumenta emit vili pretio, postmodum carius vendidit. Si enim cum omnes merces emis non impedis alios quin emant, nullam in ea emptioe iniustitiam committis; neque etiam iniustus es eo quod eas merces serues, si quidem possides, neque item in earum venditione, cum supponas, illas vendere pretio currenti iuxta prudentiam aestimatio. n. Neque obligatus es eas omnes simul venales exponere, dum a Republica non compelleris: vbi enim hac obligatio cauetur? Ergo ex nullo capite apparet iniquitas, maxime cum nulla reperitur lex positua hanc conuentionem prohibens, quia potius dardoniurum officium, vtpote Reipublicae commodum feret vbiq; approbatur. Sic tradit Mol. d. disp. 355. §. quid de haec. Lessius lib. 2. cap. 2. d. dub. 1. n. 151.

8 Neque fundamentum contrarium vrget, nam datum quod ex augmento pretij videntur inferri abunde videtur Reipublicae compensatum abundantia illarum mercium tempore necessitatis. Praeterquam quod illud pretij augmentum non ex emptioe mercatorum, merciumque reservatione in illud tempus prouenit, sed ex sterilitate temporis. Adde hanc emptioem, & reservationem mercium nulla lege prohibitam esse, sicuti prohibetur conuenticio circa pretium.

9 Quarto exercebis monopolium illicitum, si impediatis ne merces in ciuitatem inuehantur, vt tu solus merces emptas, vel ex tuis praedijs collectas vendas. Quod intelligendum est si vi, metu, vel fraude, aliave iniustitia impediatis, vt recte notatur Lessius, d. dub. 2. n. 1. §. Petri Nauarr. 3. de restit. cap. 2. d. dub. 9. Eman. Rodrig. 2. p. cap. 82. num. 3. Salas dicto dub. 38. circa finem. Nam si seculata fraude solis precibus impediatis tuo commodo consilis, & datum emptoribus proueniens quod maiori pretio emant per accidens est, neque tibi culpa imputandum, quia ciues non habent ius iustitiae ad emendum viliori pretio, nisi ex suppositione quod merces importentur in ciuitatem, & venales fuerint expositae; neque item ius habent, ne venditores precibus a venditione remoueas.

10 Quinto exerceatur monopolium illicitum, cum artifices inuicem paciscantur, ne opus ab aliquo ipsorum inchoatum alter perficiat; cedit enim hac conuenticio in manifestam Reipublicae perniciem, & ciuium damnum, eaque de causa illam expresse prohibuit Zeno in d. leg. vni. Cod. de Monopolis. & leg. regia 2. tit. 7. par. 5. & leg. 1. tit. 4. lib. 5. collect. Ac idem est si conueniant de locatione suorum operum certo pretio: cuius conuentionis meminit Decian. tract. crimin. lib. 7. cap. 21. n. 17. Menoch. casu 369. n. 10.

11 Praeter haec contingunt frequenter alia monopolia illicita, quorum meminit Iodocus in pract. crimin. cap. 132. Decian. tract. crimin. lib. 7. cap. 21. Menoch. de arbitrar. cent. 6. casu 369. quae apud ipsos videre potes, vbi recte concludunt quamlibet mutua conuentionem proprium commodum spectantem in detrimentum, & perniciem Reipublicae illicitam esse, & monopolium nuncupari debere.

PUNCTVM XXXV.

Qualiter fallacis, & mendacis venditio illicita reddatur?

- 1 Si fraude inducas emptorem ad emendum carius quam alias esset empturus peccas cum obligatione restituendi.
- 2 Corollarium ex superiori Doctrina.
- 3 Si falsas litteras ex industria apponas legendas, quibus emptores inducuntur ad carius emendum iniustitiam committis cum obligatione restituendi.
- 4 Si veras litteras consillas legisti, quarum occasione lucrum alteri praeripuisi, non videris obligatus restituere.
- 5 Ex falsis rumoribus pretio aucto inuicem illius falsitatis expertus fueris non obinde potes tuas merces eo pretio vendere.
- 6 Negotiatio qualiter liceat? Remissius respondetur. Ferd. de Castro de Iust. & Iurc. Pars 1. l.

Certum est illicitam reddi venditionem cum obligatione restituendi, si fraude & dolo inducas emptorem, vt merces vltra pretium iustum emat. Sic ex omnium sententia testatur Mol. disp. 346. Quinimo existimo non solum te iniustum esse, & obligationem restituendi habere cum inducis emptorem ad emendum vltra pretium iustum, sed etiam cum inducis pel dolum, & fraudem ad emendum maiori pretio quam alias emptorus foret, quia causa es per iniustitiam illius lucri cessantis, seu damni emergentis quod emptori prouenit.

Hinc fit si sparsis falso rumore, aut literis falso confectis de obsidione superuentura, nauium naufragio, aliisque similibus, quibus occasio es augendi mercium vltra id quod communiter venderentur te obligatum esse omne illud augmentum emptoribus restituere vtpote fallacis inducendum. Sic Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 9. quest. 7. num. 4. Secundo si fictum emptorem inducas qui pretium magnum mercibus offerat, vt ea oblatione simulata veri emptores ad augendum pretium inducantur iniustus es, & ad restitutionem tenentis emptoribus quanto minus seclusa illa fraude emerent. Econtra vero si emptores fictum licitorem apponerent qui pretium rei venalis miuueret, ob cuius causam minoris vendidisti quam alias venderes restituere sibi tenentur interesse damni dati. Sicuti tradit Rebell. colligens ex D. Thom. & Julio 2. p. de obligat. iustit. lib. 9. quest. 7. num. 4. Et 8. in fine. Tertio si literas ab amico missas tuis (si quibus monebaris merces carius esse in proximo vendendas, si vi huius fraudis carius vendas quam alias esses venditorus, vel alij carius emerent alias non empturi teneris omne illud interesse refarcire. Vt colligitur ex Rebello d. quest. 7. numero 8. Ex eo autem quod venditores etiam sub iuramento affirmant pluris sibi merces stecisse, aut pluris aliis vendidisse quam sibi ab emptoribus offerat, etiam his dictis falsis inducatur emptor ad carius emendum quam alias esset empturus, non obinde videntur mercatores ad restitutionem obligati, quia vt inquit Rebell. d. quest. 7. in fine haec dicta stratagemata esse venditum communiter emptoribus notum est, & proinde fidem illis praestans suae leuitati imputare deceptionem debet.

Superfunt tamen aliquot difficultates enodandae. Prima si illas literas quarum nuper mentionem fecimus data opera eo in loco apertas posueris vt alij legerent, & deciperentur, quibus lectis decepti sunt, vt multas merces emerent, vel carius quam alias essent empturi, an tenearis ad horum damnorum reparationem? Non desunt qui probabiliter negent, quia horum damnorum non fuisse causas: haec enim non ex fisione harum litterarum, neque ex positione illarum in tali loco prouenerunt, sed ex eo quod lectae fuerint: at lectio tibi imputanda non est, cum ad eam non induxeris, quinimo legentium conueniri potest, quod contra iustitiam legerint, & secreta tua inuelligauerint. Praeterquam quod leuiter videntur fidem literis apertis adhibuisse, ac proinde se ipsos decepisse. Ceterum probabilius credo cum Rebello 2. p. de obligat. iustit. lib. 9. quest. 7. num. 8. te illorum damnorum iniustam causam fuisse, & restitutioni obligatum, quia legentes prudenter fidem literis illis adhibuerunt, cum singenter misse ab homine perito, & fide digno; ex alia parte cum in publico illas posueris apertas, non reculasti ab aliis legi. Ergo causa es moralis deceptionis, & consequenter damnorum emptoribus proueniendum.

Secunda: si veras litteras inopiae futurae recepisses, quas ruptas, & in minutissimas partes conuersas alius ex fragmentis collectas, & arte compositas legit, & lucrum quod tu comparare debueras praeripuit, an teneatur tibi illud restituere? Affirmat vt probabilius Rebell. d. 2. part. de obligat. iustit. lib. 9. quest. 7. num. 8. ductus eo argumento, quia iniustus fuit in ea lectione aequae ac si litteras clausas legeret, quia ruptura illa aequae indicat rumpeantem velle contemptum in illis literis nemini notum esse, ac si sigillatae essent. Ergo aequae iniustitiam committit procurans illas legere medio iniustitiae & extraordinario, ac si litteras sigillatas medio aliquo extraordinario legisset. Posita autem hac iniustitia cum inde occasionem sumat impediendi ne tu lucrum consequaris videntur obligatus tibi damnum restituere. Oppositum autem ego credo probabilius cum Syluestro verbo emptio qu. 17. Nam esto in illa fragmentorum collectione, & indutiosa compositione, & lectione iniustitia interueniat, quod multi negant cum pro detectis habeantur, attamen illa noticia causa non est per se tibi damnum impediendi, sed solum est causa per se secretum agnoscendi, diligentiam apponendi, tuam legimitatem condemnandi.

Tertia: ponamus falsis rumoribus pretium mercium auctum esse, poteris netuas merces vendere pretio sic aucto absque restitutionis onere, si falsitatis expertus fuisti? Bar. holom. a Medin. 1. part. sum. cap. 4. §. 2. de instrum. confessor. quem sequitur Grassus 1. part. decis. lib. 2. cap. 140. 3. te excusat a restitutione si ignarus fuisti fraudis, sed si illius fuisti conscius, alij maiori cum consequentia in vtroque euentu te excusant.

